

philosophi recentiores hanc unicam vim nullam aliam esse, quam *vim repræsentativam universi*, vel ut distinctius exponatur, *eam vim mentis nostræ, qua universum sibi repræsentat per situs corporis & organorum sensoriorum rationem.*

Eorum omnium, quæ Sphus in se continet, demonstrationes nobis suppeditat *Illustr. WOLFIVS in Psych. ration. Sect. I. Cap. I. de natura & essentia animæ.*

§. XXIV.

Hæc unica animæ vis, cujus Spho ant. fecimus mentionem, *in actionibus suis producendis certis adstricto est legibus.* Id quod in psychologicis fusius explicatur; neque minus ex §. XIII. satis perspicue intelligi potest, quam legem in appetendo & averfando mens nostra sequatur. Jam quæ animæ nostræ in sentiendo indeque pendentibus actionibus ratio sit: hic, quantum ad rem nostram facit, exponendum esse arbitramur.

§. XXV.

Eorum, quæ in hoc universo sunt, vel fiunt, perceptiones haud secus in mente nostra oriri observamus, ac *quatenus objecta quædam externa mutationes quasdam corpori nostro ejusque organis sensoriis inferunt.* Sic v. g. tormento quodam bellico exploso, aër inde commotus aures nostras afficit, quo deinde fit, ut fragorem percipiamus. Vel si papillulas nerveas in lingua saccharum, vel aliam corporis nostri partem aculeus aggreditur: ibi saporem; hic dolorem percipimus.

§. XXVI.